



350
~~XXX~~
95.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
INDIVIDUIS.

QUAM
Divina Favente Gratiâ 28

PRÆSIDE
Amplissimo atque Excellentissimo Viro
DN. CASPARO BITSCHIO,
Jcto, IN FLORENTISSIMA ACADEMIA
Argentoratensi Facultatis Juridicæ Seniore, Pro-
motore & Præceptore reverenter
colendo

Publicè, in Auditorio Majori

Mense Decembri examinandam proponit

GEORGIUS SCHELE, Meldorpio
Dithmarsus.



ARGENTORATI
Typis JOHANNIS REPPII. Anno 1626.

8



PARENTI ATQUE PA-
TRUIS SUMMA OBSERVANTIA
ÆTERNUM MIHI PROSE-
quendis.

DN. GEORGIO SCHELE, Reip. An-
klamensis Senatori emeritissimo, pa-
truo.

DN. JOHANNI SCHELE, Patri.

DN. JOACHIMO SCHELE, Patruo.

*Hasce studiorum suorum primitias
Reverentia, & Gratitude debite
testes officiosè
Consecrat, Inscribit & offert,*

GEORGIUS SCHELE.

T H E S I S I.

Difficilem magis, quàm Usui forensi accommodatam materiam arripuisse, primâ fronte videri possum: quæ & omni tempore pro intricata habita est. Quatenus tamen in arduis, iisq; utilissimis Quæstionibus utilitatem suam exerit, Clarissimorum insuper virorum Elaborationes meruit, Disputationis viâ uberiolem ejus cognitionem consecrari volui.

II.

Nomen hujus à communi loquendi usu fluxisse videtur, quo ea quæ in partes secantur, dividi; quæ minus, individua vel indivisa dici solent.

III,

Dicuntur autem in usu juris individua, vel ratione potestatis; quæ divisionem non recipiunt, sive, quæ per partes haberi aut præstari nequeunt: quorum tamen aliqua partes intellectuales (quæ & partes pro indiviso appellantur) aliqua ne has quidem habent: vel ratione actus; quæ divisionem quidem recipere possunt, divisa tamen non sunt. Illa propriè & per excellentiam individua; hæc vero rariùs & frequentius indivisa dicuntur. Quæ tamen appellationes non raro confunduntur. Sed & ea quæ unita sunt, esseque debent, individua vocare solemus, utcumque per se separari, aut dividi possint. De quibus promiscuè, prout quidque se obtulerit (Nec enim methodicam plenamque amplissimi hujus argumenti tractationem institui) exempla quædam proponam.

IV.

Ex rebus corporalibus nobilissima Individuorum species est Homo: utpote qui salvâ substantiâ divisionem non patitur. Eam ob causam in communi dividendo judicio (cujus natura est nihil indivisum relinquere) judici incumbit, illum totum uni adjudicare §. eadem

A a

Inst.

Inst. de officio Iudicis. l. 6. §. 9. ff. communi dividundo. Eadem est ratio aliorum animalium: itemque valorum &c.

V.

Pari ratione servus communis utrique dominorum tam possessionem quam proprietatem acquirit *l. 10. §. 2. ff. de acquirendo rei unius dominio.* & tam ex causâ stipulationis quam legati, idque individue: Quamvis enim impossibile sit, ut duo ejusdem rei possessores, aut domini in solidum esse possint *l. 3. §. ex contrario ff. de acquir. poss. §. l. 5. §. u. r. ff. Commodati. l. 19. §. 3. ff. de castrens. pec.* Attamen id tantum juris intellectu, non ipso facto aut corporaliter divisum est.

VI.

Stipulatur autem servus vel ex re alterius domini, vel nullius. Priori casu quidem res sit communis; sed is ex cujus re adquisivit, communi dividundo iudicio eam præcipuam habebit. *l. 24. ff. communi dividundo. l. 45. communis. ff. de acquirendo rer. domin.*

VII.

Posteriori rursus inspiciendum est, quâ formâ servus stipulationem conceperit. Nam si ita dixerit: Titio & Seio dominis meis; vel simpliciter Titio & Seio dabis; viriles partes expressisse intelligitur: sin verò ita; Dominis meis dare promittis, dominicas. *l. 37. ff. de stipulatione servorum.* Et in tantum operatur nominatio servi, ut quamvis ab altero dominorum iustus sit stipulari, dummodò non in specie vel expressè, sibi, id est jubenti, stipulari iustus sit, tamen alteri tantum, cui nominatim stipulatus est, adquirat actionem. *l. ult. C. per quas person. nob. acqu.*

VIII.

Legatum singulis pro portione domini acquiritur. *l. 50. ff. de legat. 1. quemadmodum etiam hereditas. §. servus autem Inst. de hered. instit.*

IX.

Quidquid autem ex re fructuariorum stipulatur servus, aut ex operis lucratur, ipsorum sit *§. de ijs. Inst. per quas personas cuique acquiritur. §. per eum inst. per quas pers. nobis obl. acqu.*

X.

In libero homine itidem duo pluresque jus habere possunt; ut si

ut si quis à pluribus manumissus sit, omnium libertus sit. *l. 7. ff. ad Municip. & de Incolis*, Vel si aliquis in diversis locis domicilia habeat (uti potest. *per l. 27. §. 2. ff. eodem*) unicuique in solidum est obstrictus, tam quoad personalia, quàm realia munera *l. 29. ff. eodem*.

XI.

Nam & Vassallus plurium Dominorum esse potest (non tamen Ligius) *c. un. §. satis bene*, ibi prout solitum est, de prohibita Feudi alienatione per Lotharium. Si tamen inter ipsos dominos contentio suboriatur, primus & antiquior præferendus, eique assistendum est. *arg. c. allegat.*

XII.

Si impetus fluminis paulatim ex vicini fundo mihi adjece- rit, vel etiam semel, dummodò arbores & fundus in meum radices e- gerint, id fundò meo unitum ac proinde (suo modo) individuum est. Separationem namque, hoc casu prior Dominus frustra tentabit. *§. 21. Quod si vis. Inst. de rer. Divis. l. 7. §. 2. ff. de acquir. rer. dom.*

XIII.

Sic etiam mediante homine ut plurimum species quædam, coadunantur, adeoque certo modo individua redduntur, veluti si æs au- ro mixtum sit. *l. 5. §. 1. ff. de rei vindicat.* Et quamvis hodiè inventa ars sit, quâ vi aquæ Chrysulcæ (quam vocant: German. Scheidwasser) aurum ab ære & quovis metallo separari possit: cum tamen id & sumptuosum sit, & totum plerunque æs absumat: magis, est ut adhuc hodiè decisio Pomponii obtineat: & metalla ista confusa, pro indivi- duis; massa autem pro communi habeatur.

XIV.

Quemadmodum etiam purpura vestimento intexta, aut, mel & Vinum commixta, separari nequeunt, *§. quod si partim, item §. si tamen Inst. de rer. divis.*

XV.

Idcirco talis regula fabricatur; In omnibus, quæ ad priorem speciem reverti non possunt, etiamsi quod accessit, pretiosius sit; speci- ficationis & accessionis ratione, dominum effici, qui ea fecit *§. 25. quum ex aliena. junct. §. seq. Inst. de rer. Divis.*

A 3

Boni-

S

XVI.

Bonitas Monetæ intrinseca & extrinseca, (quæ distinctio nescio an depravationi monetæ causam dederit, aut eidem remediū attulerit) rectè quoque (quamvis aliâ ratione) Individua dicitur. Debiti namque ponderis, & speciei probæ, nummi esse debent *l. 1. C. de veteru Numism potestate.*

XVII.

Non itaque Principi permittitur, pro arbitrio figere ac refigere Monetas: utpote juri naturali contrarium factum, & cujus effectus hoc exulcerato seculo experiundo innotuit.

XVIII.

Incorporalia sui natura sunt Individua; cum divisio sit tantummodò rerum corporalium. Unde de jurisdictione gravissimæ sæpenuero contentiones existunt. Quomodo si ea pluribus communis sit, res institui possit, ut discordia, quæ ex communiōne oriri solet, vitari possit: cum divisioni, per quam communiō tollatur, locus non sit.

XIX.

Ejusdem generis & naturæ sunt, servitutes: veluti jura Rusticorum prædiorum: iter, actus, via, aquæ ductus, aquæ haustus, pectoris ad aquam appulsus, jus pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodendæ. Hæc nullâ ratione dividuntur *l. 17 ff. de servit. l. 11. ibid.*

XX.

Idcirco nec pro parte constitui in fundo, vel eidem acquiri talis servitus potest. *l. 2. l. 11. ff. de servit.* Veluti si communi fundo servitutum quis stipuletur. Socio enim ut liber homo acquirere non potest; pars autem servitutis inutilis est. Retineri tamen pro parte dominus potest, si quis antea totam habuerit. *l. 8 §. 1. ff. de servitut.*

XXI.

In urbanis itidem fieri nequit, ut aut oneramea pro parte sustineat vicinus: aut tignum pro parte in parietem recipiat; aut denique in hortum meum prospiciat. *arg. l. 7. ff. ad l. Falcid. vide tamen l. 6. §. 4. ff. si servitus vindicetur.*

XXII.

Servitutum quoque personalium hac in re eadem est conditio,

353
ditio, quæ prædialium. *arg. l. 1. §. 9. ff. ad L. Falcid.* Unde de usu dicitur *ni l. 19. ff. de usu & habitat.* ejus partem legari non posse: & uti pro parte nos non posse.

XXIII.

Excipitur autem ususfructus. *de quo d. l. 1. §. 9.* ususfructus dividi potest; non sicut cæteræ servitutes individuæ sunt. & *d. l. 19. frui pro parte p. sumus. & l. 5. ff. de usufruct.* ususfructus & ab initio pro parte indivisâ vel divisâ constitui potest. & *l. 81. ff. ad L. Falcid.* ususfructus divisionem recipit; adeò ut si duobus legatus sit, ipso jure ad singulos partes pertineant. Cujus diversitatis veram rationem explicare difficile est, & summis quoque Jureconsultis negotium facessit.

XXIV.

Cùm ususfructus in multis casibus dominii pars esse dicitur; ejus occasione quæritur, an ab eodem, citra corruptionem integri, vel salvo toto, separari & dividi nequeat. Ad hoc enodandum, usu recepta est distinctio in Causalem & Formalem. Causalis dividi non potest, quasi pars componens. *l. 58. ff. de V. O.* Formalis potest, ut non pars. *l. 25. ff. de V. S.*

XXV.

Priori casui tale accommodari potest Exemplum: Fundo mihi simpliciter legato, alii usufructu, mihi quoque pars semis usufructus unâ cum proprietate datus intelligitur. *l. 19. 26. §. ult. ff. de usu, & usufr. legato. l. 9. ff. de usufr. ad cresc.* Quamprimum autem mihi competit, vel acquisitus est, eo non ut servitute sed tanquam re propriâ uttor. *l. 4. ff. de usufr. ad cresc. l. 58. ff. de V. O.*

XXVI.

Nec planè ex Individuorum numero eximendum est Dominium. Etsi enim non tantùm ratione Utilitatis & Effectus, dividuum sit. *arg. tit. Inst. quib. alien. lic.* vel non: sed etiam ratione Subjecti pro parte tam Indivisâ (quæ sola propriè pars dicitur *l. 25. §. 1. ff. de V. S.*) quam divisâ, quis dominus esse possit, non tamen naturaliter & ipso facto, sed tantùm juris intellectu divisionem recipit. Unde etiam qui totius rei dominus est, efficere nequit, ut partem retineat, partem pro derelicto habeat. *l. 3. ff. pro derelicto.*

Eadem

XXVII.

Eadem est ratio hereditatis. *l. 24. l. 119. ff. de V. S. l. 62. ff. de R. l. junct. §. 5. Inst. de hered. Inst. & §. 2. Inst. de reb. & incorp.* Et qui totam hereditatem adquirere potest, is pro parte eam scindendo adire non potest. *l. 1. ff. de adquir. vel amitt. hered.* Nec unquam pro diviso possideri potest hereditas. *l. 8. in fin. ff. de R. V.*

XXVIII.

Obligationes certè & actiones personales, quæ heredibus & in heredes competunt, *ex L. 12. Tab.* ipso jure inter heredes pro portionibus hereditariis divisæ sunt *l. 6. C. Famil. ercisc.* At jus pignoris & hypothecaria actio unicuique heredum in solidum competit. *l. 1. C. si unus ex plur. hered. debit.*

XXIX.

Ante divisionem lucra & damna æqualiter pro hereditariâ portione communicantur: quod si etiam unus altero absente victoriam causæ obtinuit contra eum, qui hereditatem possidebat, eidem communicare, aut experiundi potestatem denuò ipsi facere cogitur. *l. 7. ff. Famil. ercisc.*

XXX.

Sed & si quis tantùm ex parte, vel ex re certâ, solus sit institutus: aut si coheredes ipsi ex reliquis partibus dati, heredes esse nolint, aut non possint: ipse in solidum heres fit, & hereditatem totam acquirit. Idque propriè non jure accrescendi: sed quia jus non patitur, ut quis pro parte testatus & pro parte intestatus decedat. *§. 7. Inst. de hered. Inst. l. 7. ff. de R. I.*

XXXI.

Feuda majorum dignitatum, ut Ducatus, Comitatusve, de dispositione juris Feudalis individua sunt. Quia dignitati personæ tanquam notæ adjecta sunt: & alias per divisionem splendor familiarum ferè interit. Ulu tamen aliud est receptum: testante Gail. *lib. 2. obs. 153. n. 2.* A quo excipimus Regnum, & Electoratum: quæ adhuc manent in dispositione. *§. præterea ducatus. de prohibita Feudi alien. per. Frid.* Vide auream Bull. Caroli 4. *tit. 20.*

XXXII.

Facta, non tamen omnia, Individua esse communi ferè calculo

354. 95.
culo receptum est: super quibus talem constituunt regulam interpre-
tes. Facta quæ re consistunt & expediuntur, ita ut quid juris tribuant,
dividua sunt, *arg. l. 2. §. 1. ff. de V. O. v. g. si promissum sit, vacuam pos-
sessionem tradi.*

XXXII I.

Quæ verò juris nihil continent, sed solummodò in faciendo
vel non faciendo, aut patièdo aliquid consistunt; individuis accen-
sent: Veluti sunt operæ libertorum, aut cujuscunque liberi hominis.
Nam cum in actu consistant, pars operæ intelligi nequit. *l. 1. §. 9. ff. ad
l. Falcid. l. 72. ibi. vel operas ff. de V. O. l. 15. §. 1. ff. de operis libert.*

XXXIV.

Si itaque Dominus Feudi decedat pluribus relictis heredi-
bus; de stricta juris ratione Vasallus ab unoquoque Investituram pete-
re cogetur, eisdemque servitia præstare. Æquum tamen erit, ut do-
mini per Vasallum requisiti unum ex se constituent, cui omnium no-
mine fidelitas & servitia præstentur: quod si non faciant, sit in Vasalli
arbitrio, quem ex his præferre velit. *Iul. Clar. q. 49.*

XXXV.

E contrariò si Vasallus plures heredes reliquerit, omnes fi-
delitatem faciunt, & servitia; sive divisum, sive indivisum habeant feu-
dum *c. omnes filii. tit. si de Feudo defuncti contentio sit.*

XXXVI.

Interest tamen, ut si corporaliter sit divisum, tunc pro por-
tione cujuslibet plures etiam sint fidelitates: sin minùs, una tantùm;
perinde ac si fieret ab uno. Quoniam non personas, quæ eam faciunt,
sed rem cujus contemplatione eam faciunt, attendimus: Plerique au-
tem sentiunt, idque consuetudo approbat, plures etiam per unum
(quem vulgò Träger & Lehenträger appellant) negotium expedire
posse. *Hartm. Hartm. 2. obs. pract. 20. Wurmbf. de feudis obs. 34.*

XXXVII.

Ejusdem farinae nunc sunt fossam fodere, fundum tradere,
Insulam fabricare: quorum nullum partis præstationem recipit: &, ut
Ulpianus inquit in *l. 72. ff. de V. O.* quorum divisio corrumpit stipula-
tionem.

XXXVIII.

Sub facto comprehendimus etiam non- factum, veluti Iter
fieri, vel per aliquem aut ejus heredem non fieri, quominùs ire agere
mihi

B

mihi

S

mihī liceat. l. 38. §. hi qui sunt l. 49. §. primo & pen. ff. de V. O. Item mihī heredique meo habere licere. l. 3. ff. eodem.

XXXIX.

Num verò stipulatio, dolum malum ab futurum, his accen-
feri debeat, dubitatur. Affirmativam amplectimur, per l. 83. h. t. l. 44.
§. quod ex ff. famil. erisc. l. 1. 31. §. Pomponius ff. de ædil. Edicto. Diver-
sum est in illis, amplius non agi, Titium heredemq; ejus ratum habitu-
rum. l. 4. §. 1. ff. de V. O.

XL.

Delicta quæ itidem sunt facti, pro parte patrari nequeunt.
Non magis enim pro parte flagellare, percutere aliquem possumus,
quàm ire, & agere v. l. 27. §. 9. si duo. ff. de Furtis l. 34. si plures. ff. de in-
jur.

XLI.

Quocirca si unus à pluribus vulneratus interierit, nec con-
stet quisnam lethale vulnus inflixerit, omnes tenebuntur, arg. l. 51. §.
rursus & l. 11. §. sed si plures ff. ad L. Aqu. Const. crim. Caroli V. art. 148.
Soetliche. De Jure Canonico etiã si constet de certo authore, ceteri
ut homicidæ condemnantur. c. ult. 23 9. 8. & ibi glossa. Pœnâ tamen
huic juri consuetâ, ut excommunicationis & pœnitentiæ. Morte e-
nim plectere, nefas habet, cùm Deus nolit mortem peccatoris, sed ut
convertatur & vivat; ut ait Bartol. in tract. de differ. juris Civil. & Canon.
n. 121.

XLII.

Porro Contractuum conditio, quam ve expressâ contra-
hentium conventionem nanciscuntur, vel tacitè innatam legum sanctio-
ne habent, individua efficitur. Posterioris generis sit Matrimonium,
(Nam & hoc vulgò contractibus annumeratur) quod individua vi-
tæ consuetudinem continere dicitur §. 1. Inst. de Patriâ potestate.

XLIII.

Dividi itaque nullo modo potest, nisi per adulterium ab al-
terutro commissum. Hinc jus canonicum quoad thorum & mensam
eos tantum separat. c. 1. & 2. extr. de divor. c. tua de procur. Quod ta-
men vix rationem habet, utpote ex quo & alterum consequitur, ne li-
ceat parti innocenti ad alias nuptias transire.

XLIV.

Correi debendi, se simul ad eandem rem obstringendo, no-
vo

355. 95.
vo jure non quidem in solidum tenentur; nisi id expressè actum sit: *Auth. Hoe ita C. de duob. Reis & Nov. 99.* Quocirca si unus ex correis simpliciter obligatis solidum solverit, dubitandum non est, quin ei ad repetendam partem detur, *Negotiorum gestorum actio. arg. l. 12. C. si tertium pet. l. 40. ff. de negot. gest.* At veteri jure, cum singuli in solidum tenerentur, vix est, ut solidum solventi competere potuerit. *Neg. gest. actio: quamvis id velit Accurs. in gl. ad l. 2. C. de hered. act.* Juvabatur tamen solvens, aliis actionibus. *d. l. 2.* An verò ipsa utili condictione, si ei directa à creditore cessa non fuerit? Non puto *arg. l. 39. ff. de fidejussor. l. 11. C. eod. l. 12 ff. ad Municip.* Hodie tamen correis dabitur, etsi in solidum se obligaverint.

XLV.

Quomodo pactum unius ex reis debendi, ut & stipulandi noceat vel profit alteri, non usquequaque inter DD. convenit, & cum uterque stipulatorum sibi solidum stipuletur, uterque promissorum solidum promittat: etiam solidum unum ex his petere,olvere posse dicendum videtur. *l. 31. §. 1. ff. de Novat. l. 40. ff. de fidejussor.*

XLVI.

Novatio quoque, tam ea quæ fit liberâ conventionem partium, quam quæ per litis contestationem iudicio accepto, eadem ratione concessa est: Si tamen hoc specialiter actum sit, ut correo præjudicetur, vel lucrum adquiratur, *alleg. l. 31. §. 1. ff. de Novationibus* Non tamen perinde per nudum pactum de non petendo, alteri correorum stipulandi nocebitur *l. 27. pr. ff. de pactis.*

XLVII.

Quoties pluribus officium Magistratus injungitur, ratione officii & inde redundantis periculi Individuum dicitur. Unum namque corpus est, & commune periculum: quemadmodum si duo negotium alicujus gessissent. *l. 11. & 13. ff. ad Municip. l. 30. ff. de negotiis gest. l. 26. ibid.* Imò si nullus Magistratum aut iudicum, qui fuerant loci contrahentium vel delinquentium, supersit, tamen posteriores tenentur. *arg. l. proponebatur. ff. de judiciis.*

XLVIII.

Parum ab hoc discrepat Administratio Tutelæ. Aut enim per defunctum ipsum, aut per Magistratum ab initio est divisa; & tunc non nisi pro ratâ suæ administrationis unusquisque conveniri potest. Quantum enim facit in totum denegata Administratio, tantumdem valet,

let, si eâ in re, de quâ agitur denegata sit: & quod jus est in toto quoad totum, idem est in parte quoad partem. *l. 51. si duo. ff. de administ. tut.*

XLIX.

Aut simul omnibus est concessa: & eam dividere absque periculo, & sua conventionem tertio (videlicet pupillo) præjudicare non possunt. *l. 46. §. 1. ff. de admin. tut. & l. 2. C. de divid. tut.* Si tamen solvendo omnes sint, petere possunt beneficium divisionis. *l. 1. §. nunc trahemus. cum sequ. ff. de tutela & ration. distrabend. ut & si quis solidum solverit, utilem contra contutores actionem habet.*

L.

Durante tutelâ quomodo conveniri & conveniri debeant hac distinctione expeditur. Ut si divisam provinciis habeant functionem, quilibet in suâ provinciâ debitores tantum conveniat. *arg. l. 39. §. 3. ff. de admin. tutor. l. 100. ff. de solut.* Conveniri autem indistinctè tam à provincialibus quam Italicis creditoribus possunt. Nec debet, per divisionem conditio creditorum, effici deterior quæ pupilli gratia facta est. *v. l. 46. §. ult. ff. de admin. tutor.*

LI.

Accessiones horum esse solent Mandatores, Fidejussores, & pignora. Eorum hoc in casu similis est natura. Confidejussores enim in solidum obligantur & conveniri possunt. *l. 26. ff. de fidejuss. nisi ab initio pro virili fidejusserint. l. 51. pr. eodem.* Idem in Mandatoribus obtinet.

LII.

Hoc solummodò interest, ut mandans si solidum solverit, repetitionem habeat contra ipsum principalem. *l. 95. §. 10. ff. de solut.* Fidejussor nec contra reum, nec contra confidejssores. *l. 39. ff. de fidejussor. nisi in ipso momento sibi curaverit cedi Actiones.* Tunc enim potius pretium mandatarum Actionum solvisse, quàm reum aut confidejssores simpliciter liberasse, intelligitur. *l. 76. ff. de solut. l. 17. ff. de fidejuss.*

LIII.

Pignoris denique causâ, utpote quod totius debiti gratiâ datur, dividi non potest; nec parte debiti solutâ, in ullâ parte liberatio nascitur. *l. 19. ff. de pignor. l. 22. ff. de hered. vel act. vind. l. 85. §. pen. ff. de v. o.* Quapropter etiam si heredum obligatio alioquin jure *12. Tab. divi-* datur, pignoris tamè ratione in solidum ii tenentur. *l. 1. & 2. C. si unus ex plur. hered.* Equo

LIV.

Equo aut bove gener aliter promisso, in nullâ parte liberationem præstatio partis affert, neque etiam in duobus diversarum specierum partibus. Quamvis enim prodiviso hæ res dari possint, non tamen id actum est. *l. 2. §. 1. ff. de V. O.*

LV.

Quemadmodum in multis disjuncta conjuncta fiunt *l. 53. ff. de V. S.* & jam ex parte demonstratum: ita stipulatio quoque pœnalis hanc vim habet. Quia hîc non quæritur, cujus interfit, sed sufficit, contra actum esse. *V. C. Stipulatus sum mihi heredique meo agere Licere.* Etiam si unus heredum tantum prohibeatur; in solidum stipulatio committitur, non pro parte heredis prohibiti. *l. 85. ff. de V. O.*

LVI.

Solutio quoque debiti rectè individua dicitur; quamvis ipsi nummi dividui sint numero. Hinc pro parte recipere eandem creditor non cogitur. *l. 3. ff. famil. ercisc. l. 21. ff. de R. C. l. 41. §. 1. ff. de usur.*

LVII.

Si testator Titio & Seio legaverit fundum, hi ab initio totum habent, & concursu partes faciunt. *l. 80. ff. de leg. 3.* Hinc manavit jus accrescendi (quod rectius appellaretur jus non decrescendi) ut nimirum pars quam unus Legatar iorû aut capere non potest, aut non vult, alteri non decrescat, quam alias amissurus fuisset. *l. unic. §. ubi C. de Caduc. tollend.*

LVIII.

Copulæ autem verbali aliquando accedit conjunctio realis; aliquando non accedit. Priori casu re & verbis; posteriore verò verbis tantum, conjuncti dicuntur: Illi ab initio solidum habent, hi partes. *l. 89. ff. de legat. 3.*

LIX.

Unde fit ut inter illos sit jus accrescendi; inter hos non. Non enim plus accipere quis potest, quam ipsi datum sit, & toties juri accrescendi locus est, quoties ab initio partes non habent vel habere Intelliguntur. *l. 11. ff. de usufr. ad cresc.* Exceptis usufructuariis. Inter hos enim locum habet etiam si re divisâ postea alter eam amittat. *l. 1. §. 3. ff. de usufruct. ad cresc.*

LX.

Solet etiam simpliciter eadem res pluribus legari; & hi re tantum conjuncti dicuntur, & jure accrescendi perinde fruuntur, ut re

B 3 &

S



& verbis conjuncti. Si tamen inter se concurrant, & unus ex his, qui dupliciter conjuncti sunt, deficient, hi qui re & verbis conjuncti sunt, iis qui tantum re conjuncti sunt, præferuntur. Sed si deficiens sit tantum ex re conjunctis: hoc ad omnes cum suo onere proportionè hereditaria ipso jure transit. *l. uu. §. ubi. C. de Caduc. tollend.*

LXI.

Operæ pretium erit, si de quibusdam rebus, quas leges in consequentiam sibi invicem cedere volunt, dixerimus. Veluti est jurisdictio simplex; quæ cum sit tantum nuda cognitio, sive notio, ac per hoc reddatur elusoria, ut Aquila sine plumis, legum beneficio sibi annexum habet semper Imperium, quod ex eo Mixtum dicitur. *l. ult. §. 1. ff. de eo cui mandat. est. jurisd. l. 2. ff. de jurisd.*

LXII.

Quomodo Feudum hereditate omisâ, aut vice versa, acquiriti possit, quæritur. Et de filio defuncti nullum est dubium, quin alterutrum apprehendere, aut repudiare ipsi non sit liberum. Agnatus verò hereditate repudiatâ feudum apprehendere, nisi sit hereditarium aut novum *c. un. an agnat. vel filius.*

LXIII.

Sapissimè namque evenit, ut nutent heredes relictâ onerosâ hereditate, & hereditatem repudient, ne oneribus astringantur. Quo tamen non per omnia ipsis cautum est, cum antiquum feudum tantummodò, & quidem ex pacto & providentiâ, ære alieno non possit gravari. *Gail. l. 2. obs. 154.*

LXIV.

Servitutibus nonnullis aliæ semper insunt: ut usufructui usus: viæ actus: actui iter. Ideoque si prius Actum, deinde iter, stipuler; perinde est, atque si prius totum, deinde partem stipuler. *l. 58. ff. de v. o.*

LXV.

Eadem ratione aquæductu legato etiam fistulæ debentur. *l. 47. ff. de contrah. empt. fundo vendito dolia in fundo defossa, vel alia instrumenta. l. 76. ff. eodem.*

LXVI.

Causæ alioquin separatæ nonnunquam Individuæ sunt; veluti primò in generalitate Actionis; ut tutelæ, negotiorum gestorum,

rum, familiae erciscundæ, communi dividundo, petitione hereditatis
& bonorum possessionis *tot. tit. ff. de quib. reb. ad eundem jud. eatur. Vel*
causæ: si centum debeantur *l. 11. ff. de jurisd.*

LXVII.

Deinde ob cognatam facti jurisque Quæstionem, quæ rem
aut præparet, aut explicet. Præparat causam proprietatis, possessio-
rium judicium, vel ad exhibendum. *l. nulli C. de judic. l. five C. de probat.*
l. 3. ff. ad exhib. Explicat, si quis eo negotio agat, quod plures producit
Actiones, puta si agatur ex locato, de servo locato vulnerato; vel inju-
riarum, de servo injuriosè verberato, vel furti, de surrepto eodemque
postea occiso; *L. Aquilia nihilominus salva est l. si vulneraveris ff.*
locati. l. qui servum. ff. de O. & A. l. 2. §. 1. ff. de privat. delict.

LXVIII.

Tertiò propter præjudicium, quod causæ ex incidenti quæstione
generaretur: veluti si status quæstio incidat in hereditatis petitionem
§. 13. Inst. de Act. In his itaque omnibus judex aliàs incompetens ido-
neus habetur. Alias nunquam perfectè lis sententiâ determinari &
definiri possit. *v. l. 1. C. de Ord. jud.* Nisi quæstio incidens sit spiritualis.
Hæc enim à judice seculari, qui de principali civili quæstione cogno-
scit, definiri non potest: sed judicem Ecclesiasticum exigit. *per c. 5. lator*
extr. Qui fil. sint legit.

LXIX.

Est & Re conventio de diversâ causâ coram eodem judice: quâ
factâ simul utrunque terminare necesse habet judex. Æquum enim est,
ut quem agendo quis comprobavit, eundem in aliis non dedignetur
negotiis *Nov. 96. c. 2. cum Nov. 123. c. 25.* Ubi rursus excipi videntur, Cle-
rici, & Scholares, item qui causam momentaneæ Possessionis intenta-
runt &c.

LXX.

Quædam etiam Actiones hominum non incongruè individua
dici possunt. Qualis est Usucapio sive Præscriptio: ad quam obtinen-
dam continuâ & non interrupta Possessio requiritur. *l. 3. ff. de usurp. &*
usuc. Sicuti & contextus in testando. *§. 3. Inst. de test. ordinand. & actus*
stipulandi atque promittendi. l. 137. ff. de V. O.

LXXI.

Hisce nunc per actis, sciendum est res aut facta pro varietate cir-
cumstantiarum diversimodè peti. In quibusdam enim & totum pe-
titur, & totum præstari necesse est: ut sunt servitutes, operæ: In quibus-
dam

dam pars petitur, & totum solvitur: ut si defunctus novum opus nuntiaverit, pluribus relictis heredibus, hi pro portione agunt, sed opus pro parte restitui non potest *l. 85. l. 4. §. 2. ff. de V. O.*

LXXII.

Denique totum petitur, pars præstatur, ut in casu evictionis: in quo, Autoris heredes in solidum subsistere debent, sed præstatione partis pro hereditariâ liberantur. *l. 85. ff. de V. O.*

LXXIII.

Coronidis loco concedimus in facti præstationibus, ubi plerunque ad interesse decurri solet, ratione æstimationis eas fieri dividuas. *l. 72. ff. de V. O.* Imò omnes omninò res numero & tempore dividi posse. *per l. 5. §. 1. ff. de servit. l. 54. ff. de V. O.* Id tamen ad modum potius quàm ad obligationem ipsam pertinet. *d. l. 5.*

§. 1. ff. de servit.


Deo sit honor, laus & gloria &c.


F I N I S.

Strassberg, Diss., 1623-26

X2617020

WDM





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

350
~~XXI~~

TATIO JURIDICA
DE ^{1626, 2}
IVIDUIS.


QUAM ^{XVI}
Favente Gratià 28

P R Æ S I D E
atque Excellentissimo Viro
P A R O B I T S C H I O,
E N T I S S I M A A C A D E M I A
Facultatis Juridicæ Seniore, Pro-
& Præceptore reverenter
colendo

è, in Auditorio Majori

mbri examinandam proponit

S S C H E L E, Meldorpio
Dithmarsus.



G E N T O R A T I
N N I S R E P P I I . A n n o 1 6 2 6 .

95.

S

